



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

III. De dolore & fletu peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

queam peccata mea deflere,
priusquam defungar hac luce.

CAP. III. De dolore & fletu
peccatorum.

Dolor meus in conspectu
meo semper.

ORATIO

Pœnitē-
tis pul-
cherri-
ma.

Psal. 47.

Deus meus, vitam meam ma-
culavi peccatis multis; sed vide
lacrymas meas, quas fundo in
conspectu tuo pro eis. Scio enim
quia non habitat in me bonum;
& quamdiu mortale gero cor-
pus, non sum liber à peccatis.

Rom. 7.

Facio igitur malum, & pecco
quotidie; & quod gravius est,
multa patior abire sine gemitu &
digna contritione. Nam exteriori-
bus rebus & vanis curiositati-
bus sæpius intentus & implexus,
non possum tam celeriter rever-
ti ad salutare fletus.

Occupatio exte-
riorum,
remora
compun-
tionis.

Ideo tam fortiter multipli-
cantur in me peccatorum tene-
bræ, fontes obstruentes gratiæ,
& venas divinæ consolationis
non admittentes. An istud par-
vum est malum? Grande est hoc
malum Deus meus; & fit tanto

grandius, quanto citius transit
corde, nec ullo me pungit dolo-
re.

2. Domine, nunquid non re-
spicies? Quamdiu illudam te, &
fallam me? Usquequo taces Do-
mine? Ubi est virga? Ubi stimulus
& baculus? Quare subtrahis ju-
diciū & infernū ab oculis meis?
Si starent hæc ante me, putas,
negligenter agerem?

Si taces emendationis gratia,
patientiam exhibes; sed si negle-
xero, nonne acriter post corri-
ges? Si non hic, certe in futuro
corripies. Nil quippe transibit
inultum; nec parvum, nec grande
peccatum. Sed multo melius hic,
ubi fructuosus fletus, labor bre-
vis, satisfactio acceptior, & re-
conciliatio facilior est.

Ne parcas igitur virgæ, sed a-
cri collyrio unge oculos meos;
nec in posterum reserves mala
mea, ne fortè tradar tortoribus
ad solvendum novissimum qua-
drantem. Melius est nunc parum
& salubriter pungi, quàm postea
tam acerba luere tormenta pur-
gatorii.

Memoria
iudicii &
infernī
stimulus
pœnitenti-
æ.

Optat
nunc po-
tius quàm
postea
puniri.

Lugendum ergo mihi, & dolor ingens pro peccatis est habendus. Multa enim habeo, quæ defleam, sed unde rideam, non habeo causam. Tenebræ cordis & lubrica conscientia, casus in vitia & occasus gratiæ, flere & gaudere mihi suadent, imo ex angustia me sæpè compellunt.

Cogitans quoque diversas tentationes & malorum incurfus, ad quid risus? Parce mihi Domine, parce mihi. Si enim flevero, tactus dolore cordis intrinsecus, non est mirum, quia tempus flendi est. Felix hora, quando nascitur mihi pro peccatis dolor. Beata lacryma, quæ fluit ex contritionis vehementia, circumspecta omni cordis macula.

3. Et quis sufficit, abyssum hanc plene discutere, & latentes fordes sine palpatione arguere? Deus meus, lumen verum, tu potes omnes cordis mei tenebras illustrare, & omnes maculas ejus in spiritu ardoris & judicii concremare. Tuum est dare cor novum, creare cor mundum, & præparare ibi secretum habi-

Multa
nobis
flendi, e-
xigua ri-
dendi
causa.

Deus il-
lustrator
cordis.

Et ho-
spes bonæ
conscien-
tiæ.

taculum; ut fiat locus quietio-
nis tuæ & tabernaculum nominis
tui, qui es amator munditiæ, &
hospes bonæ conscientiae.

Sed quia neglectam domum
non libenter visitas, imo bestia-
libus moribus illudendam sæpè
relinquis, ideo sollicitus sum, ne
id mihi contingat; sed ad repa-
randas ruinas meas, misericors
& clemens succurre.

Væ illi, cui iratus abscesseris,
Pax ei, ad quem descenderis, &
apud quem permanferis.

Ego miser positus in medio
laqueorum, & gravatus compe-
dibus peccatorum, quale mihi
est consilium, & quod salutis re-
medium, nisi ut ad te levem con-
tritos oculos meos, si forte au-
diatur clamor meus in excelsis?

Orandum
& ploran-
dum.

Neque enim salubrius reme-
dium inquinata conscientia in-
veniet, vel habebit, quam amarif-
sime se in oratione mactare.

Et importuna tentatio quo-
modo melius curabitur, ne præ-
valeat; nisi ut continua oratio ad
te fundatur, & multum se homo
humiliet?

Sed

Sed hæc bona quis mihi tribuet? orare & flere, sicut expedit? Unde mihi humilitas & tanta lacrymarum copia?

Utique apud te Domine, apud quem misericordia & copiosa redemptio. *Psal. 129.*

O Domine Deus dator omnis gratiæ, concede mihi digne flere etiam quantumcumque minima, & quæ latent, & quæ patent, omnia simul sine excusatione castigare. Hæc inter me & te masticata, gratiam mihi restituant amissam, & ad meliora præparent ac viciniora saluti.

ORATIO

*Perelegās
plorantis
miseriam
suam inter
tot*

CAP. IV. De lamentatione
temporis & negligentiæ.

Imperfectum meum viderunt
oculi tui.

Ah Domine Deus, quid unquam fiet de me, cum deficiam quotidie? Quomodo emendabo perfecte vitam meam? Quando melius fiet? Quando convalescā? Et quando omnia vincam? Dejectus sum in limo profundi. Putas

*remoras
& pericula
conversionis
Psal. 38.
Gemitus
& suspiria
respicere
volentis.*